



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 53. Equites Ordinis sancti Michaelis in Ecclesia Beatæ Virginis congregati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

rentur, in ea causa minime in bonam partem acciperentur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1572.

Ceterum sat manifestum erat, genuinam hujus repulsæ causam fuisse, quod sincere illud facinus abominaretur, cujus defensionem in se suscipere fuerat rogatus: verum hac agendi ratione Balduinus probum se esse virum testabatur, ex adverso autem eo magis vituperandum est, viros dignitate, pietate, integritate, ac doctrina præstantes, & ab omni furore, & vanitate alienos, Morvillerium, Thuanum, Monlucium, Pirbracium, & Belleaureum, ut regni bono infervirent, non metu, aut spe, sed præfenti rerum statu eo adductos fuisse, ut rem, quam in corde suo detestabantur, aut simulate laudarent, aut officiosa excusatione obscurarent.

§. LIII.

*Equites Ordinis Sancti Michaelis in Ecclesia Beatae Virginis congregati.*

Cum in Gallis præcipua cura eo abiret, ut populus sedaretur, eique persuasum fieret, quod tandem exterminatis iis, qui suis factionibus pacem turbabant, regno pristina sua tranquillitas fuerit reddita, hinc Rex Equites Ordinis Sancti Michaelis in Ecclesia Beatae Virginis Parisios venire præcepit, ubi cum cuncti præstituta die vigesima

Thu. p. 844.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XLIX. F nona*

Sæcul. XVI.  
A C 1572.  
nona Septembris solemniter procedentes, ibidem festivitatem Sancto Michaeli sacra congregati essent, ac Rex in suo throno consideret, peracto sacro libellus supplex eidem ex compacto porrigebatur, Nobilium priscam Religionem profitentium nomine, in quo maximum adhuc nobilium numerum in regno superesse, abs dubio ea ex causa dicebant, ut nuper interfectorum memoria induceretur, & jactura illa, qua Galliam adeo debilitatam jactabant, elevaretur. Hi ergo postulabant, ut Religio una, videlicet ea, cui a Majoribus per successionem acceptæ regia Majestas, ac regni salus innititur, ipsius Regis auctoritate in posterum constituatur, atque id, quod ipse Rex nuper super ea re ad tempus statuerat, nunc in perpetuum decernatur: quam ad rem efficiendam, si opus fuerit, hi Nobiles operam suam magno consensu deferebant. Hunc libellum Rex benigne accepit, & ea in re, quod magis expediret, facturum se spondit.

§, LIV.

*Senatus edictum contra Architalassum Colinium.*

*Thu. & Duplex p. 794.*  
*l. c.*  
Interea in Senatu quæstio in Colinium defunctum, ac conscios maturabatur, ac tandem die vigesima septima  
Octo-